

Post dies paucos rediit a rege Roberto nuntius Guidonis Scarpete, vir religiosus, qui mandata Scarpete detulit^a. In reditu litteras a rege retulit benevolentie testes, que refferebant^b regem reputare illum sibi fidelem, ideo eum censebat sibi amicum, conmensalem et consiliarium et in huius^b signum duo vestimentorum mutatoria illi remissit^b ex simili panno confecta; sue^c urbis Furlivii populus pari consensu tum eum capitaneum sibi constituunt memores equitatis, quam servaverat inter partes eius urbis in eo officio, antequam regi pareret. In hoc solatium aliquod cepit, sed fratris sui interitu per eam luem, qui cum eo in vinculis steterat¹, non letum solatium tenuit.

Quomodo et quibus causis civitas Furlivium ad potestatem^d partis Gibeline pervenit.

Dum rex Robertus pro ecclesia Romana per suum prefectum Romandiolam administraret, omnibus Ghibelinis expulsis preter de castelis^b Luco et Bagnachavallo, simultas inter principes Guelforum exoritur. Malatestinus de Arimino ceteris et sui potentia et regis favore prepolebat^b. In Forolivii erant duo capita prepotentia et dissidentia^e; quorum Orgoyosi cives veteres Malatestino^f favebant. Calbulenses^g, alterius factionis caput, in ea urbe cives non veteres, cum pluribus principibus partis Guelfe consilia ineunt de excutiendo iugum regis ab eis, quia pecuniam extorquebat ab eis nomine solvendi stipendium CCC equitibus, cum minus C teneret, et de removendo Malatestino ex principatu Arimini, ita^h tamen, quod alius ex eius familia in locum eius succederet^b. Et

a) 'retulit' sogleich korr. in 'detulit' Hs. b) So Hs. c) Vor 'sue' scheint etwas zu fehlen, die Uebers., in der der Sinn dieses Satzes falsch wiedergegeben ist, hat nur: 'Et fecello (nämlich der König Robert) capitano della sua terra de Forli de consentimento de' Forlivesi'.
d) 'potez' Hs. e) 'disfidentia', wie es scheint, Hs. f) 'maletestino' Hs.
g) 'fauebant in Calb.' Hs. Da die Uebers. nur 'I Calbolesi' hat, ist wohl nicht 'et' für 'in' zu emendieren, was auch an sich unwahrscheinlich ist.
h) 'Ita' Hs.

1) Ueber die zweijährige Gefangenschaft des Guido Scarpeta und seine endliche Befreiung nach Erlegung einer bedeutenden Geldsumme, welche die Forlivesen für ihn zahlten, 'quia utrique parti equissimus tiranus fuerat', findet sich oben in der Hist. Romana ein längerer Absatz, der in der Comp. chronol. fehlt.